



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 127. Burgundiæ Dux cum Regina Lutetiam ingressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. CXXVII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1418.

*Burgundia Dux cum Regina Lutetiam  
ingressus.*

Dux Burgundiæ Parisios reverti noluit, antequam unius mensis spatio Joannes ab Insula- Adam urbem occupasset. Postea vero Dux & Regina cum ingenti pompa die decima quarta Julii Lutetiam ingressi sunt, resonantibus undique Musorum choris. Nec tamen horum præsentia seditionem compescuit. Nam in quos vel levissima suspicio cadebat, quod Armeniacis faverent, jam fundatus credebat titulus, ut sub hoc schemate eorum domus exscoliarentur, atque opibus, beneficiis, & dignitatibus conspicui crudellem in modum trucidarentur. Homines ex infima populi fæce, Duces erant truculentæ hujus ac sanguinariæ cohortis, nec ipsi carnifci inter eos locus deerat. Imo hic ipse furiosorum agmen duxit, qui homines plusquam ducentos die vigesima prima Augusti interimerunt, ipsum quoque Palatum cædibus funestare adeo non abhorrentes, ut in ipsum Ducem manus injecissent, nisi opportuno auxilio vim cohibuisset. Etenim ut seditionis rabiem a se averteret, sex milia eorum ad obsidendum Montem Letherici urbe eduxit, qui cum ad hanc expedi-

**Sæcul. XV.** peditonem Parisiis egressi essent, Dux  
**A. C. 1418.** carnificem capite truncari, plures alios  
 ceteris magis sceleratos laqueo suspendi,  
 vel undis submergi præcepit.

### §. CXXVIII.

#### *De Societate Fratrum vitæ communis.*

**Spond. an.** Anno Incarnationis millesimo trecenten-  
**1384. n. 12.** simo octogesimo quarto Gerardus

Groos, seu Magnus, patria Daventriensis, Sorbonæ Doctor, atque Ultrajecti Canonicus *Fratres vitæ communis* instituit, quorum societas componebatur Viris scientia ac pietate claris: Vitam sustentabant communibus facultatibus; bona enim ad evitandam mendicitatis necessitatem omnibus sibi communia habebant, simulque juvenes literis imbuere obstringebantur. Gesta Gerardi conscripsit Thomas a Kempis, ac plurimum hoc institutum commendavit, cui & ipse aliquamdiu adhæserat.

### §. CXXIX.

#### *Liber Matthæi Grabonis contra hosce *Fratres Pontifici exhibitus; propositiones ex eo decerptæ.**

**Gerson. to. I.** Interim Dominicanus quidam ex Pro-  
**p. 467.** vincia saxonica, nomine Matthæus Grabon in Conventu Wismariensi Merseburgensis Dicecesis probare aggressus est, quod